Ad REGII SVECICI campi
*Illuſtrem Mareſcalcum*

# DN. GUSTAVUM HORN

Senatorem Regni Sveciꝍ, Dn. in Heringen & Malla, Equitem Auratum,

*Generoſâ ſtirpe ortam, ſollicitè ac feliciter educatam, devotâ pietate & mirâ virtutum coronâ conſpicuam, ſincerè dilectam, ſpecie & ætate floridâ, inter ſancta ſuſpiria 8. Auguſti Anno. 1631.* STETINI *piè & placidè defunctam* CONIUGEM

# CHRISTINAM OCHSENSTIRNIAM

*amarè lugentem*,
& nunc
*3. Julij Anno 1633. ad locum ſepulturæ hæreditarium ſplendidè ablegantem*

Elegiæ

Chriſtoph. Albini Ph. & M. D.

---

*STETINI*
*Typis* GEORGII GOETSCHII *impreſſæ.*

16.

4° Lieb. 3, 16

I.

FOrma, genus, pietas, hominesq; Deumq; movebant,
Non movit lethum, forma,genus,pietas.
Occidit, Arctoo vix ſurgens ſidere, ſidus,
Qui non cõdoleat, vel fera, vel lapis, eſt.
Nata, polo gemino notâ, OCHSENSTIRNIA, gente,
HORNI, quæ Tua, Te digna, marita fuit.
Te ſequitur, ſequeris REGEM, REX juſſa JEHOVÆ,
Non Tua, non REGIS, ſed pia cauſa DEI eſt.
Vivere quid renuant, pietas quibus enthea cordi?
Quis renuat ſanctâ hac in ſtatione mori?
Vince animos, luctumq; igitur, parêre neceſſe eſt,
Ni ſpontè, inviti hoc cogimur ire gradu.
Munia conjugij curaſti ſingula, duxi,
Quæ ſunt officij, non tetigiſſe nefas,
Mecum alij quid non? quis? quid? quid defuit? unum,
Nec prece, nec votis, flectere poſſe DEUM;
Namq; miniſtrando Medicus conſumitur alter,
Terrebant quæ non me quoq; ſæpè πάθη?
Quæve Tuo juſſu ſoboles mihi credita, quæ jam,
Nî loquitur, gaudet Te ſupereſſe Patrem,
Et gaudet, quæ nunc gaudet ſuper æthera CONIUNX,
Cui grave (ſi grave quid) Te doluiſſe nimis.
Servâ Te REGI, qui ſe ſuaq; omnia CHRISTO,
Sit Soceri, & prolis curaq; amorq; Tuæ:
Nam quæ præteriêre orbis non corriget ætas,
Quod, ſtimulum contrà, dic mihi, calcar erit?

Velle Dei, ſit velle Tuum, qui junxerat, Idem,
Ne dubitâ, junget, mox vocat hora, Deus.
Conveniſſe fuit quondam blandum, anne morandi
Spes, & certa, fuit? nulla, fatere, fuit.
Aſt erit, exſicca hæc cum ſpiritus oſſa reviſet,
Dulce redire ſimul, dulce manere ſimul.
Interea impoſitam, & geſtam, inter prælia, Spartam,
(Rexq; Deusq; jubet) continuâ & decorâ.
Militat omnis homo, quot habet jam caſtra Tyrannis?
Quot caro? quæ Christus? militat omnis homo.
Pugnandum. qui non terrena βραβεῖα meretur,
Sola ea quæ cœli, non moritura, petat.

II.

*SI Tua cum noſtris, HORNI, quid vota valerent,*
*Hora, patens lacrymis, delicijs flueret.*
*Flevimus ut decuit, caſtam, iam regna tenentem*
*Elyſij, coſtam, flevimus & decuit.*
*At nocuit nimio nimis indulgere dolori,*
*Læta modum neſcit, res quoq; læva modum.*
*[Ignoſcant ſancti nobis, pia nomina, manes,*
*Totq; inter qui nunc agmina victor agis]*
*Maſcula progenies, ſpes vivida ſtirpis avitæ,*
*Viſa cui nondum tertia meßis erat,*
*Luna ſuum, ſed vix ter bis, compleverat orbem*
*[Siſte precor luctum] cum genitrice iacet.*
*Unica quæ ſupereſt [ô longum nata ſuperſit!]*
*Jam propè utroq;, madens, orba parente gemit.*
*Nec denſare ſatis tot funera, totve qverelas*
*Velle thoro, torquent publica damna magis.*

Ode-

*Odera, cum Rheno, Mœno, Iſtro, Viſtula, & Albis,*
*Nôrunt, ſi careant, copia creſcit aquæ;*
*Nam cecidit, vincens & in ipsâ morte triumphans,*
*Priſcâ cui, ſed nec ſecla futura parem*
*Progenitura, vagiq́ inter miracula mundi*
*Rara recenſendus, REX, (dolor!) omne decus.*
*Qui tremuêre dolent ſublatum, erat omnis in illo*
*Spes, defenſurum, qui prior hoſtis erat:*
*Et qui nunc tanto munimine, ſanguine, tuti,*
*(Vivere pro nobis, atq; mori voluit)*
*Si recolunt, ſapiuntq́, udo quot ab æthere nimbi*
*Sæpè fluunt, tot jam gens populoſa feret.*
*Diſpereat ſi fors in viſcera verſus amicus;*
*Debuit & potuit ferre, negavit opem;*
*Teſtis erit mens, quæ mille eſt pro teſtibus, illi,*
*Pœniteat vivos inter habere locum.*
*Eſt DEUS, eſt ſcelerum vindex, eſt ultio praſtò,*
*Quâve putes minimè parte venire, venit;*
*Nec deſperatæ parta eſt victoria cauſæ,*
*Fraus, vis, ſi REGEM ſuſtulit ulla pium.*
*Vivit, qui decuplas in prælia ſæva cohortes*
*Sollicitat, Pharao ſi movet arma ferox;*
*Quâ gradiâre viam oſtendet, via, duxq́ ſalusq́,*
*(Hæc via ni via ſit, pervia nulla via eſt.)*
*Suggeret & clypeos, & fiet aranea murus,*
*Virtutem dextræ dextera Dia dabit.*
*Inter privatos luctus qui publica defles,*
*Nobile in afflicto corpore pectus alis;*
*[Non obſcuratur rarò de lumine lumen,*
*Vincitur haud aliter ſæpè dolore dolor;]*
*Fortunam contrà, velut hoſtem, audentior inſtâ,*
*Curis, mandatas res age, liber eris.*

*Qui vos eduxit patrijs ſacer Angelus oris,*
*Ille miniſtrabit robur & ingenium.*
*Promta ſuas offert (quid ni?) GERMANIA vires,*
*Fidere quæ didicit, fidere dedidicit;*
*Nil niſi ſinceras ſibi, ſinceriſsima, mentes*
*Spondebat, verè reſcijt eſſe feras.*
*Quisquis amicitiæ ſpecie, ad juſſa æqua, paratos*
*Luſit, mox aptos noverit imperijs:*
*In vaſtatorem ſtrictus ſic ſtringitur enſis,*
*In conſultorem iure redundat onus:*
*Læſa furorem urget demùm patientia: quæ jam*
*Diſplicuêre homini, diſplicitura DEO.*
*Ut penetrat radians denſiſsima nubila Phœbus,*
*Deſerit & feſſos, omnia membra, ſopor;*
*Quando pios turbant tempeſtatesq́, procellæq́*
*Ingentes, propè merſæ, imminuêre rati,*
*Dum pavidam explorans inter discrimina plebem,*
*Grana duo fidei pondus habere ſinit,*
*Evigilat, qui non dormit, cuſtodia cujus,*
*Curaq́, deſertum paſcere, ferre, gregem:*
*Diſcutiet nubes, tempeſtatesq́ ſerenans,*
*Et Solem, & cum vult flumina ſtare jubet.*
*Lenta venit, violenta venit, reſipiſcite, quotquot*
*Ad mala proclives devius error agit,*
*Seria ſera venit, fera ſed, vindicta, quid hujus*
*Unquàm oculos, oculus quicquid is, effugiet?*
*Inſurrexerunt, vel teſtibus hoſtibus ipſis,*
*Contrà, pro vobis, hos, elementa ſimul;*
*Mitiùs ergò feres, GUSTAVE, ad magna creatus,*
*Quas memoro clades, ſi feriant animos,*
*Cauſa, Deusq́ vocat, terito imperterritus hoſtes,*
*Quæ mora? jam palmam cauſa DEUSq́ parat.*

*Quod*

*Quod ſi, quam meritò ſpatioſior orbis anhelat,*
*Affectet noſtras pax rediviva domos,*
*Imperat aut pietas, audentvè orare phalanges*
*Victa, aſſentiri fama perennis erit.*
*Sanguinis humani ſat fuſum, in viſcera noſtra*
*Sævitum ſatis eſt, horret ad hæc animus.*
Exoriare, ultrix in corda ferocia, Numen,
Quò voluêre tuos ſternere, ſterne, modo:
TU, qui viciſti violantem fœdera pacis,
Cum Paradiſiacis, exul homo iret agris,
Ipſe, DEUMq; hominesq; inter, dum virgine natus,
Grata revexiſti perdita jura prius,
Deniq; diſcipulis pacem blando ore precatus,
In patriâ quando ſede locandus eras,
Gaudeat hâc, præſtâ, terris Eccleſia gliſcens,
Nec rabidis poſthac præda ſit ulla feris.
Sic TIBI, quamprimùm hoſtiles evaſerit auſus,
Serviet, in laudes dedita tota TUAS.

F I N I S.

*Quod ſi, quam meritò ſpatioſior orbis audiat,*
*Afficiet noſtras pax reditura domos,*
*Imperet aut pietas, auditove orare phalanges*
*Viſtæ, aſſentiri fama perennis erit.*
*Sanguinis humani jus ſuſum, in viſcera noſtra*
*Sævitum ſatis eſt, horret ad hæc animus.*

Exoriare, ultrix in corda ferocia, Numen,
Quó voluêre tuos ſternere, ſterne, modo:
TU, qui viciſti violantem fœdera pacis,
Cum Paradiſiacis, exul homo iret agris,
Ipſe, DEUMq; hominesq; inter, dum virgine natus,
Grata revexiſti perdita jura prius,
Deniq; diſcipulis pacem blando ore precatus,
In patriâ quando ſede locandus eras,
Gaudeat hâc, præſtâ, terris Eccleſia gliſcens,
Nec rabidis poſthac præda ſit ulla feris,
Sic TIBI, quamprimùm hoſtiles evaſerit auſus,
Serviet, in laudes dedita tota TUAS.

FINIS.